



In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955. Luchier.

Nr. Bo. 2.

48
45

IOANNIS IACOBI BOSII
A. M.
COMMENTATIO PHILOLOGICA
DE
SPONSAE ORNATV
SPLENDORIS ECCLESIAE
N. F. SYMBOLO

AD IES. XLVIII, COMM. 18.

ILLVSTRANDVM.



EX OFFICINA LANGENHEMIANA
MDCCXXXVIII.

JOANNIS IACOBI BOETII
COMMENTATIO HISTORICOY
SPONSAE ORNAMENTI
SILENTIORIS PECULIARIBVS
N. F. C. T. R. O. D.
V. D. I. S. Z. E. V. N. Y. C. M. H. B.
G. L. S. T. A. N. S. A. X.





בָּנָה

DE

SPONSAE ORNATV SPLENDORIS
ECCLESIAE N. F. SYMBOLO.

§. I.



Vamuis natura mortalium, infelicissimo
quippe primorum hominum lapsu uitia-
ta, ita ingenium nostrum finxerit, ut in
rebus sacris atque diuinis maxime sit stu-
pidum, nec illa capere possit, quae Spi-
ritus Dei, summa licet accuratione et
perficitate, tradat, tamen Deus O. M.
omnium qui salutem summo studio ex-
petit, nihil intermisit, quo etiam huic mederetur malo maximo.
Quibus ex caussis non solum uates suos atque ecclesiae mini-
stros iis donis instruxit, quae poterant obscurissimas mentes di-
uina lucē collustrare, sed ea quoque ratione in ipso Sacro Co-
dice locutus est, quo ille liber sanctissimus ab omnibus legi pos-
set, et simul indoli animorum nostrorum inseruiret. In huma-
nis optime sapient homines et quae in uita quotidie vsu uenient,
non possunt non intelligere. Quando itaque Deus res diuinas

*Symbolis
sæpe Dens
in Scriptu-
ra uitatur.*

A 2

et

et quae captum nostrum alias exsuperant, cum rebus quae usus sunt communis componit, eo ipso paullo illas dilucidare nos trisque animis insinuare uidetur. Ad imagines et symbola respicimus, quae saepissime in Scriptura Sacra occurunt, atque his res spirituales nonnunquam explicari, dubitaturum confidimus neminem.

§. II.

*Ecclesia
Christi
 sponsa.*

Ecclesiam, illum purioris doctrinae coetum, a Deo uehementer etiam atq[ue] etiam amari et singulari prouidentia non minus quam potentia contra omnes hostes licet crudelissimos defendi, sat multa loquuntur documenta. Atque haec, ni fallor, est caussa, ut saepe in sacris litteris ecclesia praestantissimos sit nacha titulos, quorum in numero certe non ultimus est, quando *sponsa Christi* compellatur. Fidem asserto nostro facere sine negotio poterunt illi Scripturae loci, ubi tum Deus et Christus sponsus appellatur, Os. II, 19. 20, coll. Ier. II, 2. Matth. XXV, 1. sqq. tum etiam ecclesia sponsae comparatur Cant. IIII, 8. 9. 10. II. 12. et V, 1. 2. Ef. LXI, 10. LXII, 5. neque tamen hoc nomen ferre quicquam differt ab ista denominatione, quando ecclesiae virginis titulus tribuitur, ut 2. Cor. II, 2. Apoc. III, 4. et alibi. Nil propterea mirari debemus, quando eodem nomine suas ecclesias doctores quondam ornarunt, quam in sententiam CLEMENS ALEXANDRINVS, 1) Mīcā dēs inquit, μόνη γυναικεῖον παρεθέστος. Εκκλησίας ἐμοὶ φιλον ἀντὴν καλεῖν. Una autem est sola mater uirgo, mihi autem placet eam vocare ecclesiam. et alio loco, quando caussam reddit, cur Christus non uxorem duxerit, εἰς τὸν ἄνθρωπον τὴν μή γῆμεν τὸν Κύριον, πρώτον μὲν γάρ, τὴν ιδίαν νύμφην εἰχεν, τὴν ἐκκλησίαν κ. τ. λ. Nesciunt caussam, cur Dominus uxorem non duxerit. Primo suam sponsam habuit, ecclesiam. etc. 2) Caussas cur hoc nomine ecclesia fuerit inter alia compellata si quaerimus, uariae eaeque praegnantes afferri et huius symboli elegantes red-

1) *Paedagog. Lib. I. p. 102. B. edit. Colon.*

2) *Stromat. Lib. III. p. 446. D. Add. EVSEBII Hist. Eccles. Lib. IIII, cap. 22. p. 115. Amstel.* ubi memorat Hegesippum, Episcopum, ecclesiam Corinthiacam uocasse virginem, quod uanis sermonibus nondum fuerat corrupta.

reddi possunt rationes, quas in compendio legere licet apud
 10. GERHARDVM 1) et 10. ANDR. SCHMIDIVM. 2) Quem-
 admodum uero uaria in sponsa spectari possunt uel statum uel
 rationes ecclesiae depingentia, ita etiam maxime ornatus eius,
 qui in nuptiis singularis esse solet, aliquid innuit, ab Esaia Pro-
 pheta commendatum, quod paucis illustrandum nobis sum-
 sumus.

§. III.

Locus Prophetae, quem respicimus, occurrit Cap. XLVIII, 18. *Locus pro-*
 et ita sese habet, בָּאֵדֶלֶךְ נִקְבַּצְיָה עַנְוֹד וּרְאֵי כָּלָם שְׁאֵי-כְּבִיבִים כְּבָעֵד כְּבָשִׂים וּתְשִׁירּוֹת כְּפָלָה:
 רְאֵינוֹ נָאֵס יְהֹוָה כִּי כְּלָם בְּעֵד הַלְּבָשִׂים וּתְשִׁירּוֹת כְּפָלָה:
 זְקוּפִי יְרֹשָׁלָם CHALDAEVS haec uerba hunc in modum reddit,
 סְחוּר סְחוּר עַנְבָּה וְחַנָּא כָּל בְּנֵי עַמָּה גַּלְגָּלָת מִתְּבָנָשִׁין וְאַפְּנִים
 לְזֹיוֹד קִיסְט אֲנָא אָמֵר וְאָרוֹן פּוֹלָהּן לְיָהּ פְּלַבְשׂ דְּקָרְבָּן Attolle Ierusalem in circuitu
 oculos tuos et uide omnes filios populi, deportatam et congregatam
 multitudinem, quae uenit ad te. Viuis ego, dicit Ioua. Nam
 omnes hi tibi in uestimentum erunt, quia gloria et opera eorum
 in pulcritudinem tuam cedent, scut ornatus sponsae. Magis
 ebraeo textui insistunt: LXX, Αέρον κύρλω τὸν ὄφθαλμός σε, καὶ
 μὲν πάντας, οὐδὲ συνήθουσαν καὶ ἀλλοσαν πρόσεσθε. Ζωὴ ἔγειραι, λέγει κύ-
 ριος, οὐ πάντας αὐτές οἱ κόσμοι ἐνδύνται, καὶ περιφέρεις αὐτές οἱ
 κόσμοι νύμφη. Duplex, si VITRINGAM 3) sequimur, in his de-
 prehenditur uerbis symbolum, alterum ad communitatem seu
 ciuitatem, alterum ad ornatum sponsae respicit. Nos, ne lon-
 giores simus, quam aequum ac par est, arctissimis quippe limi-
 tibus inclusi, in praesenti priora mittimus et ornatum sponsae,
 tanquam symbolum N. F. tantum sumus consideraturi, quo in
 negotio ita versari natura rei iubet, ut initio consideremus spon-
 sae ornatum a Propheta indicatum, deinde, quomodo ille sit sym-
 bolum splendoris ecclesiae N. F. demonstremus.

A 3

§. III.

1) *Locor. Theol. Tom. V. p. 585.*2) in *Diss. de eccl. uirgine*, ad cit. loc. Eusebii, Helmstadii A. 1697, habita.3) in *commentar. ad b. l. Tom. II. p. 594.* edit. Basili.

*Laboris di-
uisio.*

¶ sponsa **כָּלָה** **בְּנֵי יִשְׂרָאֵל** **וְאֶתְנָשָׁן** §. IIII. **וְגַדְעָבָר** **אַתְּלָקָה**
quid? Ecclesiam itaque' prophetae, uel potius Christo, qui hoc
in capite sermones instituit, placet, cum sponsa comparare, quo
tendit, quando omnibus uenientibus ecclesiam uestiendam esse
pronunciat **כָּלָה** **תְּנַקְּמָה** **סְפֻנָּה**. Vnde ebraeum nomen **כָּלָה**
suam originem traxerit, si quaerimus, duplitem maxime redde-
re solent rationem Philologi. Nam quum omnes fere hanc
uocem a **כָּלָה** deducant radice, sponsam hoc nomine appellari alii propterea scribunt, quod priorem uitae statum sive vir-
ginitatis, sive uiduitatis tunc, dum sit sponsa aut uxor alterius
perficiat et absoluat, i) alij uero a perfecto ornatu deducunt, quia
tunc omnia sua ornamenta sponsa producit, qui **K I M C H I V M** se-
quuntur, afferentem **כָּלָה** **וְפִיה** **וְכָל** (2)
כִּי **רָאשָׁחָה** **בִּימֵי** **חֲפֹתָה** **כָּל** **וְפִיה** **וְכָל** (3)
3) **תְּכַשְּׁתִּיחָה** **אוֹ** **חֲמָתָה**: Quamuis uero **כָּלָה** alias etiam in sa-
cris litteris de nuru (4) accipiatur, facile tamen ex iis, quae huic
feminae tribuuntur, apparet, sponsam in die nuptiali spectari,
uestibus nempe et aliis pretiosis rebus ornata.

§. V.

Ornatus
sponsae.

Neque tamen alia ex caussa hoc in loco a Propheta con-
sideratur sponsa, quam propter ornatum. Atque inde etiam
est, ut non tantum uerbum induendi **לְבִשָּׁה** adhibeat, sed etiam
תְּצִירָה ornatus et circumligationis in uoce **קְשָׁר** mentionem
faciat, quae omnia ad mundum muliebrem spectare, nemo for-
te, nisi harum rerum plane ignarus, negauerit. Namque, ut
paucis rem complectamus, **לְבִשָּׁה** semper fere et in omnibus de-
riuatis induendi notionem retinet, id quod in uulgus notum est,
atque, si B. CASP. NEUMANNO credimus, illud designat, quod
maxime et efficacissime uersus intima uel interiore capedinem
uer-

1) Sunt uerba **וְאַתְּ** **בְּעַתּוֹרְפִּים** in Lexic. Chald. Talmud, p. 1046, cum quo
consentit ROBERTSONVS in thesaur. ling. sanct. p. 408.

2) in **תְּצִירָה** p. 235.

3) Vid. etiam **בְּעַתּוֹרְפִּים** d. L AVENARIUS et SCHINDLERVS sub
uoce **כָּלָה**.

4) Conf. Genes XI, 31. XXXVIII, 24. Of. III, 13. Ruth I, 6. Iaq. saepe Mich.
VII, 6. in quibus locis ei LXX. uocem **μητρα** habent. Conf. IAG. GVSSETII
Commentar. Ling. Ebraicae p. 385.

uersum est.) Ornatus sponsae uocē שָׁרֵךְ indicatur, quae licet alias in sanctis litteris os rictumue tum hominis tum bruti animalis 2) notet, nostro tamen in loco, ut saepius, 3) ornatum designare satis dilucidum esse uidetur, quum שָׁרֵךְ fontem agnoscat, quae ornatus notionem non raro admittit. Sed in eo haerere posse mus, num hoc שָׁרֵךְ ornatus quandam speciem aut quodvis ornamentum in genere denotet. Prius p̄e aliis placuit VITRÍNGAE, 4) qui per hanc uocem pallam sive pallium muliebre uel potius monilia et armillas manuum et pedum intelligit. Sed quum statim ille subiiciat, hanc uocem ex etymo notare, quid quod corpori externe admouetur, nec illud rem conficiat, quando ass̄eri, notionem שָׁרֵךְ, unde forte reliqua themata sumenda, idem valere, quod Latinis AD, nos non erratuos confidimus, si afferamus hanc uocem in genere quodvis ornamentum sistere, praesertim quum illud non inauditum sit alibi. Conf. Iob. XL, 10. Ezech. XVI, 7. Speciatim propheta ornatum sponsae indicat per uocem שָׁרֵךְ, quod arctius copalandi, ligandi, colligandi notionem admittit, Deut. VI, 8. Proverb. VI, 21. VII, 3. quamuis et alias conspirare signet 2 Reg. X, 9. XV, 15 sqq. Amos VII, 10. et alibi. 5) In virginum ornatū קְשִׁירָה redimicula, alligamenta et uitiae capitī sunt, de quibus etiam hoc in loco VITRÍNGA cogitauit. Bene hanc uocem explicat R. KIMCHI, 6) רֹצֶחָן לְמַר עַל הַחֲלוּכָּה וְהַעֲנָקָס שְׁקִישָׁתָה אֶת בְּרָאשָׁה או בְּגָנוּרוֹתָה: Quum itaque Propheta in his uerbis sponsam uehementer ornatam nobis sifstat, maxime probabile est, priori denominatione omnem ornatū, qualiscunque demum sit, posteriori speciem ornatus, capitī ornamentum, tanquam praecipuae partis corporis intelligere.

§. VI.

1) uid. eius Exodus L. S. ad charact. נָשָׁה p. 51. et ad בְּלָבָד p. 166.

2) in respectu ad edendi uel saltem mordendi actum, Pl. CIII, 5. XXXII, 9.

Conf. GVSSETIVS d.l. p. 580.

3) u. g. Ezech. XVI, 11. Transeundi significationem uocis שָׁרֵךְ plane nullus expungere GVSSETIVS d.l. ut sola ornandi remaneat.

4) cit. loc. p. 391.

5) Conf. ROBERTSONI Thes. Ling. Sanct. p. 984.

6) cit. loc. p. 408.

*Antiquis
sponsarum
apud E-
braeos or-
natus.*

¶ 10 92

§. VI.

Antiquis vero hominibus in more fuisse positum, sponsas in primis eo die, quo nuptiae celebrandae fuerant, maximo et plenissimo ornatu induere, antiquitatum conditores satis superque confirmant. Nam, ut nihil dicamus in praesenti de eo, quod sponsae inde nomen accepisse a nonnullis dicantur, ut supra uidimus, nobis illud uarii sacri codicis loci persuadent, 1) et certe si ornatum uirginum Sionis, cuius Esaias cap. III. mentionem fecit, consideramus, omnino sponsas uehementer ornatae olim fuisse, inde colligere possumus. Nolumus haec in praesenti uberiori perseguiri, ubi facilius esset initium quam finem orationis inuenire, siquidem sat multa tradunt uerusta monumenta de sponsae ornatu apud Ebraeos antiquos. Siue enim uestes pretiosissimas, 2) quibus quondam fulgebant sponsae, siue etiam considereremus earum coronas, 3) siue comites, quas paronymphas שִׁשְׁבָנִים uocabant, 4) siue reliquam pompam atque gloriam, 5) ex omnibus insignis ornatus et splendor facile animaduerti poterit. Viicum tantum in praesenti adducere placet testimonium, quod nobis persuadere poterit, curam maximam fuisse adhibitam in ornanda olim sponsa, siquidem illi duodecim menses concedebantur ad praeparandum. Occurrit hic locus in *Cetuboth* 6) פָתַנֵּן לְבָתוֹה שְׁנִים עֶשֶׂר חֲרוֹשׁ מִשְׁתַבְעָה כְּבָעַל לְפָנָס אֶת עַצְמָה: Concedunt uirgini duodecim

men-

1) Quod sponsus die nuptiali sepe ornet, constat ex Pf. XLV, 10. Cant. III, 11. Es. LXI, 10. item ex Pf. XIX, 6. colligitur, de sponsae ornatu nuptiali uidetur Pf. XLV, 10. 15. Eccl. LXI, 10. Iter. II, 32. Apocal. XIX, 7. 8. XXI, 2.

2) uid. COR. AD AMI Obscrv. Theol. Philol. p. 522. sqq.

3) Sponsae corona potissimum uocabatur שִׁשְׁבָנִים aurea, quia hac forma ex auro erat confecta, reprezentatur eiusmodi corona in WAGENSEILII Comment. ad Sora Tom. III. p. 306. Misch. SVRENHVSII, de aliis sponsarum coronis conferri possunt commentatores ad eundem locum Sora Cap. VIII, §. 14. p. 304. sqq.

4) Vid. BVXTORFII Lexic. Chal. Talm. p. 2535. et SELDENVS in Vxor. Ebr. Lib. II. c. 16.

5) Opportune occurrit, quod PETR. KEVGHENIVS in Annot. suis ad Matt. Cap. VI, 29 p. 41. sqq. annitur probare per graecam uocem ὀδόντα splendidum uestitum et uestes regias intelligi.

6) Cap. V. §. 2 p. 72. edit. Surenbns: Tom. III.

mensis ab eo tempore, quo eam requisiuerit maritus, ad parandum seipsum.

S. VII.

Symbolum Prophetae hactenus considerauimus, supereft, *Scopus Prophetae.*
ut paucis demonstremus, qua ratione hic ornatus sponsae gloriam ecclesiae N. F. praefiguret. Illud uero ante omnia tenendum, hanc promissionem a Messia exhiberi ecclesiae, querelas mouenti, nec hic corporalia sed prorsus spiritualia beneficia intelligi, nec tandem ad aliud quid, quam conuerſionem gentilium respici. Omnia enim haec probe consideranda esse, censemus, ne a uero prophetae scopo aberremus, quae a nobis non monnenda fuissent, nisi his in rebus uehementer lapsum fuissent *GROTIUM* animaduerteremus. Initio enim ille tribuit orationem huius capititis Esiae, Prophetae, illumque de sua persona loqui, credit, qua in re Iudeos secutus est, 1) quum haec omnia de Messia, qui hoc in capite loquens introducit, fuissent accipienda, quod egregie et uariis argumentis contra *GROTIUM* euicit *B. CALOVIVS*. 2) Nec pauci sunt interpretes, qui eadem sentiunt, nominatim *MVNSTERVS*, *VATABLVS*, *CASTALIO*, *CLARIUS*, *FORERIVS* 3) et reliqui, ex quibus in primis *CAMP. VITRINGA* 4) audiendus, *Spiritus Dei*, inquit, excitat Prophetam, ut uocationem gentium sub regno *Messiae futuram*, cum repudio maioris partis populi Iudei, de qua gentium uocatione iam in superioribus uaria occasione uaticinatus fuerat, planius, disertius, explicatius describat et praenunciet, cum ueris suis cauiss, mediis, successu, effectis, consequentibus. Quae conciones cum ab hac nostra exordium sumant, producitur hic ipse *Filius Dei* iam manifestus factus in carne, oratione ad gentes direcione conuerta, eas docturus, se a patre suo aeterno eius consilio ordinatum et ab utero sanctificatum atque in tempore uocatum esse ad

B

magnum

1) Vid. eius *Commentar. in hoc cap. Esiae Crit. Angl. Tom. II. p. 284. edit. Francof.*

2) in bibl. illustrat. Tom. II. V. T. p. 229. ubi tribus et decem argumentis *egre-
sionem GROTIU* eluere suo more doctissime atque solidissime conatur.

3) Vid. *Crit. Angl. d. I. p. 2824. sqq.*

4) in *Comment. ad Esiam Tom. II. p. 159. edit. Basil.*

*Grotii er-
rores.*

10

magnum illud et gloriosum opus conuersonis Gentiam ad ierum
et uiuum Deum efficiendum, quippe destinatum iis illuminandis et
saluandis, dum maior pars populi Iacobidarum salutem suam ipsi
oblata am aspernaretur. Satis graue, ni fallor, est argumentum,
quod ex Acto XIII, 47. petitur, ubi Paullus, gentium Aposto-
lus, ea, quae in hoc capite occurrunt de Christo et paganorum
uocatione luculenter exponit. Tota itaque prophetae nostri
pericopa, si paullo attentius consideratur, docet, ipsum Mes-
siam hoc in loco sermonem instituere, qui initio gentes allo-
quitur, suamque uocationem demonstrat, deinde ecclesiam Iu-
daeorum creditum solatio erigit et tandem ecclesiae electorum
afflictarum in initio N. F. felicissimum statum depingit. Nemini
properea obscurum esse poterit, quis per Sionem commate
14. suas querelas exponentem זובני יהוה וארני שכחני intelligatur, minime scilicet urbs Hierosolyma destructa, ut
GROTIUS existimat, cum Chaldaeо faciens, qui haec reddit,
זובני יהוה וארני שכחני ut supra uidimus, sed cum plerisque eccle-
sia afflictionem sustinens, quem Deus solatio erigere cupit. 1) Errorem etiam non leuem in eo committit GROTIUS, quando illa, quae sequuntur, de Sione corporali et denuo aedifican-
dis Hierosolymis explicat, quomodo omnes isti per terras As-
syriorum, Medorum, Babyloniorum et Persarum dispersi, iterum
sint congregandi, qua in re iterum bene notatus fuit a B. CALOVIО, 2) docente omnia haec de spirituali debere accipi amplificatione. Praelusisse hac in re, nisi fallor, GROTIUS aliqua
ex parte uidetur THEODORETUS, 3) quando etiam de recuperatione ornatus loquitur. Διδάσκεται, inquit, ὅτι πάλιν τοὺς οἰκεῖους
ἀπέλαγχεται κόσμον. κοσμεῖται δὲ πάλιν οἱ ἐρωτηθεῖτε. Ostendit illum
ornatum suum recuperaturam. Ornant autem ciuitatem incolae.
Quod si uero omnia attente consideramus, longius et ad tem-
pora N. F. respicere prophetam cognoscimus, et solatii materiam
suppeditare afflictae ecclesiae atque moestissimae, quam attol-
lere

1) Vid. CALOVIVS d. l.

2) d. l. p. 224.

3) in Esiae cap. 49. p. 113. Tom. II. edit. Paris. IACOB. SIRMONDI.

lere iubet oculos et uidere uenientes multos ex gentibus ad se olim desolatam. Non dubitamus 1) tamen allusisse Prophetam ad praedictam in aliis uaticiniis liberationem e captiuitate, et reaedificationem Sionis, quod plerique agnoscunt Interpretes et a ueteribus quoque obseruatam, Hieronymo in primis ac Cyrillo Alexandr. quia uerba Prophetae id inferunt, quod uero ita intellectum uolumus, ut saluus maneat litteralis sensus unicus de Sione spirituali, quem genuinum hic hactenus ostendimus cui istud u. 16. ecce in manibus meis descripsi te, conuenit, non aequa Sioni terrenae. Meliora GROTIUS de hoc nostro loco tradiditiam olim CYRIL LVS ALEXANDRINVS, cuius uerba digna sunt, ut paucis a nobis considerentur. 2) Tl. ἐν; inquit, ἐν τέτοις ὁ Θεός ὑπηρέται λόγος; καὶ τὸν καὶ συγκειμὸν τῶν πατεσθεδασμέων, καὶ τὴν ἐν πιεύματι τῶν αὐτολάλιστων ἐπιφρόφην, καὶ τὴν τῶν διαπετευομένων ἔπιπονδον, ἐπιεροφήν τε, καὶ ἐγρηγορεύν, καὶ τῆς εἰς Χριστὸν ἀγάπης τὰ γέρα. Περιβλεψόμενοί γάρ, Φρησι, καὶ σώζει τὰς ἀπατάτας. Ήδε συνήχθησαν πρός σε. Ιὼν δὲ πιεύν αἴποφαν τὴν υπόσχεσιν, ὅρκω Βεβαοῦ τὸ ἥπιθεν καὶ Φρησι, Ζῶ ἐγώ, λέγει Κύριος, ὅτι πάντας αυτές ἐμδύω εἰς κόσμον μύρους. Κόσμημα γάρ ἐκκλησιῶν τὸ σύνημα, διὸ γάρ τοι τέτοι τὴν ἐκκλησίαν ἴματισμῷ διαχεύσω, καὶ πεποικιλμένῳ πατακοσμένῳ θόρος τῇ Δεσποινέω γραμμῇ, σὺ περ γάρ αἱ πελνεοῖς, καὶ πολυτελέστατο τῶν λιθῶν, Φρησὶ δὲ τῶν Ινδικῶν, χρυσοῖς κανόσαις ἐπικόμινοι θαυμασόν τι, καὶ αἴξιοθατον ἐπιτελέστον κόσμημα. Έτοι καὶ αἱ τῶν ἄγιων Ψυχαὶ τοῖς αρετῶν ἀντίκεισται ἐξωραΐσμεναι, Φαιδρὸν αἴσιλβους καλλος τοῖς ἐξ τῆς θεότητος ὁ Φθωκολόμοις, ὡς τε καὶ ἐναῖσον ἐνχαριζέται τῷ Χριστῷ λέγεν, ἀγαλλιάσθω ἡ Ψυχὴ μὲν ἐπὶ τῷ κυρίῳ η. τ. λ. Quid igitur hisce uerbis diuina promittit oratio? Vocationem et collectionem eorum, qui dispati sunt, et reuersionem in spiritu eorum, qui perierunt, et redditum eorum, qui fugerunt, et reuersionem et expergefactionem er amoris in Christum præmia. Circumspice namque, inquit, et specta omnes, Ecce congregati sunt ad Te. Ut autem firmam ratamque promissionem faciat, iureurandō,

B 2

quod

1) Sunt uerba nostri CALOVII in Bibl. III. d. I. p. 225. Conf. etiam VITRINI
G A p. 591.

2) Leguntur in eius Comment. ad Esaiam Lib. IIII. Orat. IIII. p. 677. Tom. II.
Opp. edit. IO. A V B E R T I Lutet. A 1638. edit.

quod dictum est, confirmat et inquit, Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus eis induam te uelut ornatu sponsae. Namque ecclesiarum ornamentum est multitudo aggregata. Nam ideo solet diuinitus inspirata scriptura ecclesiam uestitu aureo et uariegato exornare. Quemadmodum enim uariae et pretiosissimae lapidum, Indicorum inquam, species aureis regulis inbaerescentes, admirabile quoddam et spectabile ornamentum adiungunt, ita quoque sanctorum animae uirtutum insignibus decoratae, splendidissima pulchritudine fulgent, diuinitatis oculis, ita ut quisque gratias agat Christo et dicat, Exultet anima mea in Domino etc.

§. VIII.

*Comparatio
ornatus
sponsae, cum
conuersione
gentium.*

Quum itaque ex his satis appareat, nostrum locum non alter posse explicari, quam de conuersione gentilium, illud tamen remanet soluendum dubium, qua ratione illa cum ornatu sponsae componatur et quomodo hoc symbolum potuerit a propheta adhiberi? Notissimum esse confidimus, dies sponsaliorum saepe in Scripturis pro maximo gaudio sumi, quem in modum יְהוָה שָׁמַחַת לְבִבֵּן Cant. III, n. 1) idemque iudicari potest ex Ies. LXII, 5. et illis locis, ubi Deus minatur, se uocem sponsi et sponsae, id est, gaudium et laetitiam ablaturum esse. 2) Vbi enim nuptiae celebrantur, nullus tristitia locus relinquitur, omnes laetantur et suo genio indulgere solent. Atque haec sine dubio est causa, cur Syrus Matth. XXV, 10. uerba εἰς τὰς γάμους per Υεζαχία Λεοντίου interpretetur. Sponsa uero egregie ornata in his diebus laetitiae insignem splendorem atque decus sibi conciliat, ea quidem ratione, ut omnium ad se oculos rapiat, quid mirum, quod conuersio gentilium hoc emblemate nobis sistatur et splendor ecclesiae per hanc imaginem quasi depingatur. Sed non solum hoc pretioso uestitu gloria designatur, sed, quia nos illis rebus, quae induimus, arctissime unimur, coniunctio etiam intima gen-

1) Quem locum de Christo esse exponendum egregie declarat Magnif. et S.

R. SAL. DEYLINGIVS in Obseru. S. P. III. cap. 10. p. 120. sqq.

2) Ier. VIII, 34. XVI, 9. XXV, 10. Apoc. XVIII, 23. contra uox sponsi et sponsae dicitur audiri in ciuitate, in qua magna laetitia agitatur Ier. XXXIII, II.

gentium cum ecclesia N. F. innuitur, quo etiam altera vox קָשֵׁפְתָּ, quae alligandi et constringendi notionem habet, ut supra dictum est. Namque hac ratione sacris scriptoribus u. g. pudorem induere est ignominia prorsus operiri Ps. XXXV, 26. CVIII, 29. induere gloriam eam, possidere, instar uestis semper praesente habere Ps. CIII, 2. et sic porro. Paucis ut rem comprehendamus, et sensum Prophetae attingamus, hunc in modum Prophetae rationes suas collegisse nobis uidetur, Quem admodum sponsa uariis ornamentis et mundo muliebri, in primis capituli decore in die nuptiali, quibus sibi splendorem non leuem conciliat, se induere solet, ita etiam amplissima congregata multitudo ex gentibus ad ecclesiam N. F. accedens et fese cum illa intime uniens, splendorem atque gloriam maximam ei conciliabit. Consentientes habeo in hac re plerosque Interpretes, quos supra nominaui, quibus solum addo in praesenti
S E B. S C H M I D I V M, 1) qui ecclesiae augmentum et amplificationem his uerbis praedici, memorat, et eleganter congregationem gentium exponi dicit, quod honorifica sit futura ecclesiae et constanter illas gentes ecclesiae adhaesuras, sicut ornamentum alligatum.

§. VIII.

Quodsi haec conuersio gentilium suo tempore futura a Propheta praedicitur non immerito tandem sumus solliciti, de quo tempore et quibus hominibus haec capi debeant. VITRIN-
GAM, quem saepe iam laudauimus, si etiam hoc in loco in par-
tes uocamus, figere nos iubet hanc scenam totius huius pro-
phetiae in initiis Noui Foederis et quidem aliqua latitudine, pro-
diuersis Concionis partibus, 2) speciatim uero quod ad nostrum
locum attinet, 3) in primis annis Traiani imperii. Per orna-
tum uero mystice significari putat homines doctos, litteratos,
Philosophos, Rethores, inter ipsos paganos in magna dignatio-
ne ueratos, qui Religionem Christianam explicarent, et scriptis
atque apologiis defenderent et conuersi Ecclesiae magnum de-
cus adderent, inter quos Iustinus Martyr, Athenagoras, Cle-

B 3

mens,

1) in Comment. ad Esiam p. 438. sq. 2) d. l. p. 500. 3) p. 594.

mens, Tertullianus, Minucius Felix, Cyprianus et hisce similes multi sunt. Nos, quamvis non tantum nobis sumamus, ut de tanto viro iudicium nos posse proferre credamus, illud tamen fatemur, nobis uideri, promissionem euangelicam prophetae hoc modo nimis arctis limitibus includi. Certissimum quidem est tempora N. F. intelligi, sed, num sola tempora indicata, et an non potius conuersio gentilium maxime notabilis diuersis temporibus facta et accessus ex variis gentibus et populis, quod Prophetae textus innuere uiderit, hoc in loco sit admittenda, de eo dubium moueri posset. Splendorem etiam atque gloriam ecclesiae, ornatu sponsae praefiguratam, non querere nos iubet Propheta in magnis luminibus et uiris, qui scriptis illustrarent aut sua facundia defenderent hunc sanctorum coetum, sed in insigni incremento et accessu multorum ad ueram fidem, quibus haec congregatio fidelium reddenda erat illustrior.

§. X.

*Iureiuran-
do confir-
mantur hæc
a Deo.*

Omnia haec certissima futura confirmat Deus iureiurando, חִי־אָנִי נָאכַת־יְהוָה quae loquendi ratio non infrequens est apud prophetas. Firmam ratamque hoc ipso fieri promissionem diuinam supra ex CYRILLO audiuiimus, et certe quotiescumque Deus per Prophetas hac formula utitur, nihil aliud quam ueritatem rei et dictorum certitudinem testatam facit, simulque suam seriam uoluntatem indicat, πληρόφορος ἐγενόμη, ut VITRINGA loquitur. Nos hodie quoque diuinam celebramus gratiam, qui nos, quandam gentiles et a uera Dei cognitione remotos, ad suam ecclesiam ita congregauit, ut ornatus illius partem conficiamus, simulque Deum ueneramur, ut nobis in multa adhuc saecula huius ornatus partem esse, beneuole cedat.

Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3



PA 30C

VD 17

NC

